

et prædeterminat. Unde non potest efficacia divinæ voluntatis præsupponere aliquid extra se, unde sumat illam, sed ante omnem efficaciam causarum inferiorum ipse debet eam habere ut illis communicet: ergo illa efficacia est antecedens, et absoluta, seu prædefinitiva, quia non est præsupponens aliquid unde illam sumat, sed a se habens, et a se communicans. Hoc autem ita docet S. Thomas in hac prima parte, q. XIX, art. VIII, ubi dicit: « Ex eo quod voluntas Dei sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus vult fieri. Vult autem Deus quædam fieri necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. » Et idem ex efficacia divinæ voluntatis deducit primo contra gent. cap. LXXXV, ratione I et q. XXIII de verit. a. V. Non potest autem stare quod efficacia divinæ voluntatis sit ratio, et causa quod aliquid fiat, et quod tali modo fiat, si ante mediorum prævisionem efficax non est, si quidem illis dat efficaciam, non ab illis sumit. Nec est læsiva libertatis nostræ antecedentia illa efficaciam divinæ, neque contingentiam tollit, si D. Thomas dicit, quod potius ex eo quod summe efficax est, causat et rem, et modum, modus autem est libertas seu contingentia ut ipsemet dicit: ergo non supponit efficaciam divinam, quia tanta est, libertatem, sed antecedit, quia causat, et præbet illum modum libertatis, si quidem quod summe efficax est, etiam modum ipsum causat, non supponit, et si causat, multo minus destruit.

VIII. Quod vero hæc ipsa efficacia sic causans substantiam et modum actus seu effectus præfinitiva sit illius, etiam quoad contingentiam, et libertatem earum, ipsumque modum præordinet, seu præ-

definiat, non præsupponat, deducitur contra Vasquez tum ex his quæ ibi loco citato ex quæstione XIX, art. VIII, subdit s. doctor: « Et ideo, inquit, quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, quibusdam causas contingentes defectibiles, ex quibus effectibus contingenter eveniunt. » Tum in hac prima parte, q. XXII, art. IV: « Quibusdam effectibus, inquit, præparavit causas necessarias, ut necessario evenirent, quibusdam causas contingentes, ut evenirent contingenter. » Tum etiam III contra gent. cap. XCIV, magis ad nostrum propositum de intentione Dei prædefinitiva: « Deus, inquit, qui est universi gubernator intendit quod effectuum ejus, hic quidem stabilietur per modum necessitatis, hic autem contingenter: et secundum hoc diversas causas eis adaptat, his quidem necessarias, his vero contingentes: cadit igitur sub ordinem divinæ providentiæ non solum hunc effectum esse, sed esse contingenter, alium autem necessario. » Ecce quomodo ex intentione Dei procedit illa aptatio seu præordinatio causarum, ut aliquis effectus contingenter eveniat, quod est prædefiniri ex intentione Dei ipsam contingentiam et libertatem, non præsupponi: si enim ad hoc aptat Deus causas, et præordinat, ut contingenter aliquid fiat: ergo ipsam contingentiam causat et intendit sua ordinatione seu definitione: ergo ut effectum respicit, non ut præsuppositum. Et sic subdit S. Thomas quod: « Divina providentia est causa per se quod hic effectus contingenter procedat, et hoc cessare non potest. » Et addit quod: « Hæc conditionalis non est vera: Si Deus providit hoc futurum, hoc erit, sed sic erit sicut Deus providit illud esse futurum, providit autem illud esse futurum contingenter: sequitur er-

go infallibiliter quod erit contingenter, non necessario. » Unde tandem dicit in prima ad Annibaldum, dist. XLVII, quæstione unica, a. IV quod: « Voluntate Dei non solum res in esse producentur, sed etiam rebus producendis modum quo producantur, prædeterminavit. Unde cum voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet quod res fiant, et eodem modo fiant, sicut voluntas divina disposuit: » et quodlib. XII, q. III, art. IV: « A providentia, inquit, Dei omnia sunt prædeterminata et ordinata. » Quibus locis aperte ponit prædeterminationem, seu prædefinitionem, tum circa omnia, tum specialiter circa modum operandi, qui in nobis est contingenter, et libere.

IX. Quod autem in omni hac præordinatione, prædeterminatione, et prædefinitione supponat D. Thomas præcedere intentionem efficacem finis, sumitur clare ex his locis, ubi docet providentiam præcipere efficaciter de agendis ex præsupposita intentione finis efficaci. Ita docet q. VI de verit. art. I: « Ad directionem, inquit, in finem præexigitur voluntas finis. Nullus enim aliquid in finem ordinat, quod non vult. Finis autem in quem prædestinatio ordinat, non est universaliter consideratus, sed secundum comparationem ejus ad illum, qui finem ipsum consequitur, quem oportet esse distinctum apud dirigentem ab his qui finem illum non sequuntur. Et ideo prædestinatio supponit dilectionem per quam Deus vult salutem alicujus; præexigitur etiam et electio, per quem ille qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis separatur, qui non hoc modo in finem diriguntur. » Ecce quomodo aperte requirit D. Thomas præcedere intentionem finis efficacem in ipso dirigente, et prædestinante seu præfiniente: requirit enim præcedere

finem distincte, et separate volitum præ his qui non consequuntur finem, seu diriguntur ad finem distincto modo, scilicet ut consequendum: hoc enim modo efficaciter finis intenditur: pro reprobis enim intenditur finis gloriæ, non efficaciter, licet ordinentur ad gloriam; prædestinati autem diriguntur in finem ut consequendum, quod est respici finem efficaciter, scilicet ut consequendum, et hoc modo præcedit prædestinationem intentionis finis: efficax ergo intentio secundum D. Thomam præcedit. Idem docet in præsentis quæstione XXIII, art. IV: « Non præcipitur, inquit, aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Unde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem. Ad quod pertinet dilectio, et electio. Dilectio quidem in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ: electio autem in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cum quosdam reprobat. » Et hanc electionem dicit antecedere prædestinationem. Sed hoc bonum quod aliquibus præ aliis vult, non est aliud quam ipse finis ut consequendus, quem non sic vult reprobis: ergo ante præparationem mediorum, quæ est prædestinatio, præsupponitur intentio finis efficax, id est, finis consequendi in re, et de facto: sic enim est præ aliis intentus: inefficax enim volitio ejus, communis est, reprobis, et prædestinatis: si ergo antecedit dilectio, et electio prædestinationem, hoc ipso efficax intentio præcedit, quia inefficax etiam reprobis est communis.

X. Eadem sententia D. Thomæ sumitur ex patribus. Et præter superius relatos, cum explicarem nomen rationesque prædefinitionis, quam etiam prædeterminationem

vocat Dionysius v. c. de divinis nominibus, et D. Thomas super eundem locum lect. III, et supra relatus in primo ad Annibaldum, dist. XLVII, et quodlib. XII, art. IV. Sed specialiter notandus est S. Augustinus, qui multis locis docet infallibilitatem divinæ prædefinitionis, et prædestinationis, non aliquo præsupposito sumi, sed a se causari, et præparari, ideoque absolutam esse talem efficaciam, et infallibilitatem prædefinendi. Nam loquendo de actibus nostris bonis qui a Deo præsciuntur, dicit: « Eos prædestinatione a Deo præsciri, in qua sua futura facta præscivit: » idem est autem prædestinatio ad actus bonos, atque præordinatio, seu prædefinitio, quæ nihil præsupponit, sed ipsam omnia præsupponunt, quia ab ea determinantur, et decernuntur eo quod causantur ab ea. Sic constat ex libro de prædestinatione sanctorum, c. X: « Prædestinatione ea præscivit Deus quæ fuerat ipse factururus, unde dictum est: Fecit quæ futura sunt. » Ergo prædestinatio, seu prædefinitio non supponit præscita tantum, sed facit, seu causat id quod præscit, et prædefinit, et sic absoluta est, et nihil supponit, quia causat id quod præscit. Et specialiter loquens de actu bono nostræ voluntatis, sicut fuit fides gentium, hanc dicit promississe Deum Abrahæ: « Non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione, quia, etsi faciunt homines bona quæ pertinet ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, non ipsi faciunt, ut ille faciat quod promisit. » Ex quo fit argumentum: Deus quod promittit, intendit implere, et ex intentione implendi promittit, alias non recte promitteret, si non intenderet implere. Sed intentio implendi non est efficax ex aliquo quod præsupponit, sed ex aliquo quod causat, et facit

etiam in nostris actibus liberis, quia licet nos faciamus illos, tamen ille facit ut faciamus; et sic de sua prædestinatione seu prædefinitione promittit, non de nostra potestate: ergo illa prædefinitio, et intentio absoluta ex parte Dei, est efficax, ratione suæ causalitatis, non ex præsuppositione nostræ voluntatis, aut potestatis.

XI. Deinde, quia Augustinus istam infallibilem efficaciam, qua Deus operatur, ita ut a nullo vincatur, etiam respectu nostrorum actuum, reducit ad divinam præparationem (quæ est prædefinitio, seu prædestinatio,) et ad divinam electionem ex proposito seu intentione, et ad dominium, et potestatem Dei super liberas voluntates hominum. Ergo manifeste sentit dari prædefinitionem in Deo, quæ efficaciter intendat, et adimpleat, nihil ex nobis supponendo, sed totum causando. Quod si totum causat, et nihil præsupponit, absoluta est illa prædefinitio in efficacia sua, non ex suppositione aliqua procedens, et efficaciam hauriens. Antecedens constat ex libro de correptione et gratia, nam capite octavo reducit hanc efficaciam infallibilem ad præparationem Dei, cum dicit de fide Petri: « Quis ignorat fuisse perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret: et permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas a Domino, ideo non posset pro illo esse inanis oratio. » Ecce tota causa infallibilis efficaciam habendi firmam perseverantiam in fide, ideo quia præparatur voluntas: ergo ex præparatione, et prædefinitione Dei, non ex præsuppositione aliqua prævisa ex parte nostri provenit infallibilitas, et efficacia; et sic est prædefinitio antecedens, et absoluta, quia causans efficaciam. Versatur autem illa efficacia seu prædefinitio sic causans circa

ipsos actus liberos nostros, v. g. circa fidem, et libertatem earum, quia ut Augustinus ibi subdit: « Quando rogavit Christus, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem. » Pro voluntate libera oravit Christus, et ideo oratio non fuit inanis, quia præparatur a Deo voluntas pro qua oratur. Ergo præparatio ex vi præparationis circa liberam voluntatem efficax est, id est, non inanis, sed effectum habens.

XII. Quod vero id reducat ad electionem Dei quæ est efficax ex se, et superativa omnium, docet in eodem libro c. VII: « Illi, inquit, electi qui secundum propositum (intentum) vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quispiam perit, fallitur Deus, sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quispiam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. » Ubi hanc efficaciam, et infallibilitatem propositi, et electionis Dei, non fuit Augustinus contentus ad hoc reducere, quia non fallitur Deus, quod fortassis aliquis explicaret de præscientia, quod præsupponit, non de causalitate ejus quod facit, sed ulterius ad hoc reduxit, quia nulla re vincitur Deus: ergo electio, et propositum de his, quorum nullus perit, id est, de prædestinatione, talis est, quod nulla re vincitur: ergo quia superat omnia, efficax est: ergo ex vi sua, non ex præsuppositione aliqujus extra se: non enim quia præsupponitur aliqua res, prævisa vincit, sed ex potestate, et virtute sua vincit, et quia nulla re vincitur Deus, efficax est.

XIII. Quod denique id reducat ad summam potestatem, et dominium quod habet Deus super corda homi-

num constat, quia, ut dicit in eodem libro, c. XIV: « Deo volenti saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium: sic enim velle vel nolle in volentis vel nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. » Et infra: « Non est dubium voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult facit. » Et addit: « Qui tamen hæc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, habens sine dubio humanorum cordium, quo placeret inclinandum omnipotentissimam potestatem. » Et concludit: « Si ergo cum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, etc. » Ecce quomodo mutatio humanorum cordium, actusque liberi eorum, ita ab ipsis voluntatibus hominum procedunt, quod etiam in dominio, et potestate Dei derivantur, tamquam a priori, et potentiori principio, ita quod magis habet in potestate sua hominum voluntates, quam ipsi suas: sed efficacia qua homo ipse per suam voluntatem se movet, est efficacia, non supponens, sed causans liberum actum: ergo illa voluntas quæ magis in sua potestate habet voluntates hominum, quam ipsimet suas, erit efficacia, non supponens, sed causans liberos actus hominum. Si enim homo eliciens actus suos liberos, efficaciter illos operatur, non supponendo aliquid, sed causando, multo magis Deus id faciet quod homo, si, ut dicit Augustinus, habet magis in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas. Et hoc causat ex intentione, et fine, et ordinatione qua disponit de illis actibus: ergo illa dispositio, et decretum est prædefinitio absoluta, id est, non ex præsup-

positione aliqua procedens, sed ex causatione.

Nec valet dicere quod potest quidem Deus uti isto modo prædefiniendi, sed non est necessarius ad suam providentiam. Nam auctoritates istæ S. Augustini et Thomæ procedunt absolute, et ex ipsa natura prædestinationis, et providentiæ Dei, et ex ipsa summa potestate, et dominio Dei in actus nostros, quod quidem necessarium est exerceri in omnibus actibus, et effectibus provisus, et omnes æque comprehendit, quia omnium habet dominium, et potestatem: hoc enim petit ex se providentia, et prædefinitio illa ut divina, quod procedat ex summo imperio, et potestate in creaturas, et causando omnia, quæ in creatis actibus nostris inveniuntur, sive ad substantiam actus, sive ad modum pertineat, et consequenter non ex præsuppositione aliqua decernat, sed ex se omnino absolute, quia causando omnia.

Denique, ex dicendis infra circa electionem hominum ad gloriam ante prævisa merita, ut præsupposita, et moventia ad eligendum, licet consecuta ad electionem et causata ab ea, et ut effectus ejus, hæc omnia confirmabuntur.

FUNDAMENTA EX RATIONE.

XIV. Duplex est præcipuum fundamentum hujus prædefinitionis stabilientiæ eum absoluta, et antecedenti efficacia, tam ex parte intentionis, quam decreti, seu ordinationis: ex quo ulterius deducemus semper, et pro omnibus effectibus a Deo procedentibus esse has prædefinitiones necessarias ad providentiam divinam statuendam, non solum tangendo causas et media, virtute quorum effectus fiunt, sed etiam immediate in se ipsis.

Alterum fundamentum est negativum ex negatione scientiæ mediæ procedens.

Alterum positivum, ex universalitate divinæ causalitatis super omnia ex ordinatione intentionis et finis.

XV. Fundamentum primum ex negativa scientia mediæ procedens, negationem hujus scientiæ supponit. Nos hic etiam supponimus, sed relinquimus id probatum præcedenti tomo, disp. xx. Ea negatione supposita, positio prædefinitionum efficacium, et antecedentium actus nostros liberos est inevitabilis. Deducitur sic: Deus providentia certa et infallibili disponit, et decernit per seipsum immediate de omnibus quantumcumque minimis, non fortuito, neque a casu, sed ex intentione finis; sed in hac providentia sic infallibiliter disponenda non oritur illa infallibilitas ex prævisione præsupponente aliquid determinatum, et determinate futurum ex parte nostra super quod cadat, sed totum causat ex se ut determinatum sit, etiam pro statu conditionato: ergo illa ordinatio, seu decretum divinum, et providentia sic disponens, absoluta est in sua efficacia, id est, non dependens, nec supponens aliquid in præordinando, et disponendo de rebus, quod est prædefinitionem absolutam, et efficacem dari respectu omnium provisorum a Deo, etiam respectu consensus liberi, eamque esse necessariam ad statuendam providentiam divinam. Consequentia est bona, quia nihil aliud est absoluta, et efficax prædefinitio, quam ordinatio divina, non præsupponens mediæ efficaciam, aut certitudinem eventus, etiam sub statu conditionato, ut efficax sit, sed ex se habens causare hanc certitudinem sub quocumque statu, et illam efficaciam: si enim nihil præsupponit, sed totum causat, a se incipit, non ab aliquo

extra se præsupposito, quod respiciat ut tale, id est, ut præsuppositum: ergo est absoluta in sui efficacia, et certitudine, quia a se, non ab alio præsupposito, et præviso emendicat: hoc enim nomine prædefinitionis nunc intelligimus, Minor ex negatione scientiæ mediæ constat, quia illa est scientia mediæ, quæ præscit aliquid, ut determinatæ veritatis, et sub conditione futurum determinate ex ipsa veritate rei in se antecedenter ad omne decretum liberum Dei causativum talis determinationis pro illo statu conditionato. Si ergo hoc removemus a Deo, oppositum statuimus, scilicet infallibilitatem providentiæ ortam ex decreto causativo totius illius efficaciam, non prævidendo tantum, et præsupponendo illam ex parte nostra sub illo statu, et ut præsuppositam cognoscendo. Quare non est medium inter negandam scientiam mediæ, vel ponendam prædefinitionem absolutam: nam si Deus non scit futura conditionata in ipsa sua determinatione creata orta ex se, quod ponit scientia mediæ: ergo in determinatione causæ increatæ, quæ est decretum divinum, non præsupponens id quod videt, sed causans, et sic absolute definiens, id est, non ex aliquo supposito. Et loquimur de futuro illo in ratione futuri: nam in ratione possibilis nos etiam id cognoscimus, et Deus in sua potentia per simplicem intelligentiam. Major autem negari nullo modo potest, cum fides divina providentiam in Deo infallibilem fateatur, de quo Ecclesia dicit oratione: « Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur: » Isai. xiv: *Dominus exercituum decrevit, et qui poterit infirmare et manus ejus extenta, et quis avertit illam?* Judith. ix: *Hoc factum est quod ipse voluisti, omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, et tua judicia in tua providentia constituisti.* Quod autem

immediate de omnibus quantumcumque minimis per seipsum provideat, docet D. Thomas esse de fide III contra gent. c. LXXVI, et de eodem videri potest hic q. XXII, art. II et III, et q. CIII, art. VI, et probat ex illo Job xxxiv: *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Ubi S. Gregorius XIV moral. c. XXVI: « Mundum, inquit, per seipsum regit, quem per seipsum condidit. » Item Matth. VI: *Respicite volatilia cæli, non serunt, neque metunt, et Pater vester cælestis pascit illa: et iterum: Nonne duo passeris vaneunt dipondio, et unus ex illis non cadit sine Patre vestro?* Et iterum: *Et capilli vestri omnes numerati sunt.* Quod certe dici non potest, nisi de his creaturis ita minutis, ut sunt capilli et passeris, immediate Dei providentia curet, non solum in causis suis, sed etiam in se ipsis; numeratio enim capillorum, et occisio passeris supponit res istas in se ipsis esse prævisas, et non in causis tantum. Et ratio id manifeste ostendit, quia omnia ista non solum in causis suis, sed etiam in se ipsis immediate a Dei operatione dependent: ergo, et a Dei intentione, et providentia. Antecedens negari non potest, cum sint entia creata: ergo sunt participationes Dei, et ab eo procedunt per operationem ejus, ita ut per suspensionem concursus ejus annihilari possint. Consequentia vero est manifesta, quia illa operatio Dei, qua producit istas creaturas, et ad eas concurrat, et in eas influit, est operatio, et executio facta ex aliqua directione rationis, si quidem Deus quidquid operatur, tamquam agens intellectuale operatur, non directum ab alio ad finem, sed a se intendens finem, alias fortuito et temere ageret, seu a casu, quæ est maxima imperfectio: ergo ex providentia, et intentione certa operatur